B. N. C.
FIRENZE
121
16

121. 16

Digitized by Google

A

121. 16

Digitized by Google

Digitized by Google

40779 b.

PHILOPONEMA LITTERARIUM DE INCREMENTO ELEGANTIORUM LITTERARUM APUD ROMANOS EX RECITATIONIBUS ORIUNDO

QUO

LUSTRATIONIS SCHOLASTICÆ

SOLEMNIA

JUSSU ET AUCTORITATE

VENERANDI CONSISTORII

A. D. V. CALEND. OCTOBR. MDCCLXX.

HORA LOCOQUE CONSUETIS

PUBLICE CELEBRANDA,

EA, QUA DECET, OBSERVANTIA ET PIETATE

INDICIT

JOH. GEORGIUS PURMANNUS

GYMNASII RECTOR

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

FRANCOFURTI AD MOENUM

EXCUDEBAT HENRICUS BAYRHOFFER.

Digitized by Google

H O R A T I U S

Sermonum L. 1. ſat. 4. V. 73.

Non recito quidquam, niſi amicis, idque coactus,
Non vbiuis, coramue quibuslibet-in medio qui
Scripta foro recitent, ſunt multi--quique lauantes:
Suaue locus voci reſonat concluſus. Jnanes
Hoc iuuat, haud illud quærentes, num ſine ſenſu,
Tempore num faciant alieno.

Digitized by Google

§. I.

Cum plerique omnes, qui ſupra ignobile vulgus ſapere geſtiunt, litteris, quæ ab humanitate nomen ſortitæ ſunt, tantum pretium tribuunt, vt neminem, ſiue ad reconditiora ſapientiæ humanæ penetralia aditum quærat, ſiue in iis rebus, quæ propius ad vitæ communis opportunitates & delicias pertinere videntur, verſetur, commode iis carere poſſe adfirment; tum neſcio, quo fato fieri dicam, vt, qui de earum præſtantia ad rauim vsque declamitant, vbi de earum finibus regundis agitur, ſententiis ſuis, diſceſſione facta, in alia omnia abeant, quorum bene multi in eo peccare videntur, quod fines nimis anguſtos conſtituant, idque tanta contentione, vt, ſi dilatandos eſſe dicas, parum abſit, quin interdictis tecum contendant, reuulſorumque quaſi terminorum actionem tibi intendant. Sunt ſcilicet, qui in interpretando *litterarum* verbo, vulgarem conſulendi Lexica morem ſecuti, litteras de linguæ ac ſermonis tantum ſtudio accipiunt, & vbi CATONEM ſenem *litteras græcas* didiciſſe legunt, Grammaticam græcam manibus triuiſſe, puerilemque verborum interpretationem ſectatum eſſe arbitrantur. Euoluunt illi præſtantiora Græcorum Romanorumque ſcripta, ſed non alio fine, quam vt verborum phraſiumque farragine collecta, quamcunque rem ſors aut conſilium offert, græco aut latino vocabulo inſignire poſſint. Utriusque linguæ naturam ac indolem probe perſpectam habere ſibi videntur, voces barbaras Romanisque auribus inuſitatas cautius ſanguine viperino vitantes; toto tamen ſcribendi genere ipſos barbaros, nec vllo modo erudite diſſerentes videmus, propterea quod verbis quidem latinis,

Digitized by Google

non autem litteris operam dederunt. Hi ſi didicerint, monente QUINCTILIANO (*a*) aliud eſſe *grammatice* loqui, aliud *latine*, ſe ab elegantioris doctrinæ finibus excludi, non ægre ferrent. Quantam ſegetem ſeruilium CICERONIS imitatorum protulit illa ætas, vbi nonulli homines latine, quoad verba & phraſes, docti, ſe huius viri ingenium mero vocabulorum aucupio conſecutos fuiſſe arbitrati ſunt, ſententiarum maxime inopes, nec vllo numero digni; qui intolerabili ſupercilio omnium ſcripta, quæ CICERONIS lineamenta referre non videbantur, reiecerunt, cum tamen, ſi ad ſententiarum pondus rerumque grauitatem reſpicias, nulli minus expreſſerint CICERONEM, quam ipſi, qui ſe huius tituli fumo moleſtiſſime venditarunt. (*b*) Qui iuuentutem in ſcholis erudiendam ſuſceperunt, hanc legem ſibi inprimis ſcriptam eſſe putanto, ne Romanorum & Græcorum ſermoni ſtudentes, communi errore ſeducti, ſolis verbis inhæreant, iisque humaniorum litterarum ambitum comprehendi, falſo opinentur.

Eſt aliud genus hominum incremento elegantiorum litterarum æque infeſtum, qui *elegantiæ* titulo decepti, illas tantummodo res in harum litterarum numero habent, quibus mentem, aut voluptati aut deſidiæ deditam, ſuauiter demulcere, tempusque commode fallere poſſint. Hi erunt fere, qui in rebus paruis & nihil aut parum ad vitam & rem publicam profuturis occupantur, qui a Gallo quodam patria extorre gallice garrire docti, cantiunculis quibusdam & comœdiis, amorem & delicias ſpirantibus, omnem elegantiæ eruditæ vim abſolui putant; qui dum capilli calamiſtris intorti ornantur, & vnguentis perfunduntur, ne cerebrum nimio otio prorſus torpeſcat, ſcriptiunculam huius generis perlegunt, loca facetiora excerpunt, in ſolitis conuerſationibus, vt riſum excutiant, ſodalibus ſuis & mulierculis propinanda; qui ludis ſcenicis innutriti, extra theatrum, nullum venuſtatis ſenſum inueniri putant; qui deni-

(*a*) QUINCTIL. inſtitut. orator L. 1. cap. 6. pag. 78. edit. Burmannianæ.

(*b*) Dementiæ huic obuiam iuere viri, de omni doctrina meritiſſimi, qui ſimios iſtos Ciceronianos multo ſale ſatyrico perfricuerunt. Nominaſſe ſufficiat ERASMUM, in dialogo, *Ciceroniano*, HENRICUM STEPHANUM, in *Pſeudo-Cicerone*, JUSTUM LIPSIUM in Epiſt. Miſcell. Cent. II. epiſt. LVII. quibus adiungendus eſt HALLBAUERUS, in diſſ. de *ſectis imitatorum* §. XIV. collectioni opuſculorum de *imitatione oratoria* præmiſſa.

denique, quod pace eorum dixerim, quamuis elegantias perpetuo crepent, neque pulchritudinis rationes, neque veros venuſtatis fontes norunt. Hisce hominibus ſi naturæ ac artis ſtudium iniungere, aſſiduamque ſcriptorum græcorum & latinorum lectionem commendare, latioremque, quam ſibi finxerunt, elegantiarum campum deſcribere velis, nihilo plus ages, quam vt des operam, vt te ipſum apud illos pedantismi crimini obiicias; quidquid enim Græciam aut Latium redolet, id omne illis eſt faſtidio. Ridiculum autem eſt, particulæ inhærere, vbi in vniuerſitatem exſpatiari licet. Veræ humanitatis cultor venuſtatem, quibuscunque demum naturæ partibus lateat, exquirit, tantumque abeſt, vt vna eius ſpecie animum compleat, vt potius totius mundi vniuerſitatem, quam late pateat, quæ certe maxima eſt, peragret, litterisque elegantioribus vbique locorum præſidium quærat. Juſtis igitur vindiciis, quod ad earum ambitum pertinet, quidquid demum nonnulli recentioris ætatis homines delicatuli de hoc fundo detraxerunt, repetere liceat.

Ex Romanorum quidem loquendi conſuetudine elegantiores litteræ eædem ſunt, quæ vocantur *humanitatis* ſtudia; cuius denominationis ratio non tam ea eſt, quod iſtæ doctrinæ homines deceant, ipſaque ſcientia humanos animos alat; quam quod *omnium* hominum animi iis delectentur, mentes paſcantur, ingenia alantur, intelligentiæ lumen accendatur, virtutis alimenta ſuppeditentur, hominesque faciles & placabiles reddantur. Hanc eſſe veram huius denominationis rationem, ipſe CICERO, quem inter veteres huius rei arbitros facile principem habemus, innuit, dum inter ſeueriores & humaniores litteras inducto diſcrimine, illas neque omnium ætatum, neque omnium locorum ac temporum eſſe, has vero iuuentutem alere, ſenectutem oblectare, ſecundas res ornare, adverſis ſolatium ac perfugium præbere, dicat. (c) Iis igitur, quæ hactenus diximis, rite penſitatis, non ſane magnæ molis erit, harum litterarum fines conſtituere, dum, ad quamcunque artem ea aut vniuerſa, aut ſingula adiungi poſſunt, ea ſine dubio inter humanitatis ſtudia cenſenda erit. Quid igitur, vt per partes eamus, de Grammatica dicendum eſt, quam inter humanitatis ſtudia, ſi non principem obtinere locum, cæteris tamen tanquam fundamentum, præſtruendam eſſe, omnes harum rerum iudices

 vn(

(c) in oratione, quæ omnium fere manibus teritur, pro Archia poëta. cap.

Digitized by Google

vno ore confirmant, quamuis nonnulli deliciarum aucupes nihil venuſti in ea eſſe clamitent? quam vim illa in formando ingenio emolliendaque mente habet? Qui forte dubitatione aliqua agitantur, ii huius artis naturam minus perſpexiſſe, litterarumque & linguæ ſtudium eodem modulo, vt iam ante monuimus, metiri videntur. Romanorum Græcorumque ſcriptoribus, penes quos huius denominationis arbitrium eſt, conſultis, ab iisque Grammatices deſcriptione repetita, nullum dubium relinquitur, quin ea in ſe contineat omnia, quæ ipſis humanitatis ſtudiis ineſſe diximus; huius enim diſciplinæ ratio, quæ non mero verborum aucupio occupatur, nec pueris aut tironibus prima ſolum litterarum elementa propinat, Græcis philoſophis ſummisque viris digniſſima viſa eſt, ad quam excolendam exercendamque omnem ingenii vim conferant; vnde Grammatici profeſſio & munus tam late patet, vt multarum rerum adcurata cognitione contineatur. Sed in regundis eius finibus potiſſimum QUINCTILIANUM auctorem ſequimur, Grammatici munus duabus partibus definientem, loquendi ſcilicet ſcientia, & poëtarum enarratione. (*d*) Conſentientem habet CICERONEM, quem in eiusmodi rebus omnes, tanquam arbitrum quendam publica auctoritate conſtitutum, ſequuntur: is igitur Grammaticis tribuit, pöetarum pertractationem, hiſtoriarum cognitionem, verborum interpretationem, & pronunciandi quendam ſonum. (*e*) Qui his rebus animum molleſcere, lenitatemque ac comitatem induere poſſe neget, video neminem; niſi qui de emendanda anima ſua prorſus deſperauerit, mentique veluti callum impenetrabilem induxerit. Quid agunt enim poëtæ aliud, quam vt artis ſuæ vim emendandis hominum moribus, virtute celebranda, humanitate & decoro inſtillando, commendent? quis neſcit, mores eorum, quos ad conſuetudinis ſuæ vſum interiorem admittit poëſis, molliri, in iisque nihil aſperum, triſte ac ſuperciliosum exſtare? Qui autem putat Grammaticorum opera ad hanc rem nihil opus eſſe, vehementer errat: venuſtates enim non omnino omnes ita comparatas eſſe nouimus, vt primo quoque impetu in quasuis mentes influant; dantur, quæ oculis primo ſeſe ſubtrahunt, vt tanto vehementius adficiant, quanto magis latere initio videbantur; dantur, ad quas percipiendas monitore & magiſtro quaſi opus eſt, qui viam commonmon-

(*d*) inſtit. orator. L. 1, cap. 4. (*e*) de oratore Libr. 1. cap. 42.

Digitized by Google

monſtret, qua nos in iis indagandis incedere oporteat. Quodſi igitur Grammaticum, cuius ingenium crebra poëtarum lectione aſſiduoque eorum ſtudio ita emollitum eſt, vt pulchritudinem ſenſu ſuo percipiat, poëtarum carmina interpretantem, venuſtates detegentem, voluptatisque rationes explicantem, audiueris, certe is ad emendandos mores emolliendumque ingenium non parum profeciſſe cenſendus eſt, eique inter humanitatis præcones elegantiæque miniſtros non vltimus locus adſignandus. Huc accedit, quod, qui explicandorum poëtarum munus in ſe ſuſcipere ſuſtinet, eum multiplici doctrina, variaque eruditione ornatum eſſe oporteat. Nam cum poëtæ veteres, quorum molimina ingenii poſteritati tradita ſunt, quidquid vbique liberalioris doctrinæ ſparſum deprehenderunt, ſcriptis ſuis immiſcuerunt; facile colligere licet, eorum interpretem nullius doctrinæ politioris rudem atque ignarum eſſe oportere. Et in hac quoque re veri elegantiorum litterarum cultores ab iſtorum ſimiis diſcrepant. Quid enim agunt, qui ingenii humani nomen ementiuntur, vim autem eius ac poteſtatem prorſus incognitam habent? Si forte incidunt in poëtam, ſententiarum grauitate ac cogitationum ſublimitate maxime conſpicuum, illico nauſabundi recedunt, ac eligunt ſibi alium ſcriptorem, magis publici ſaporis, in quo interpretando nulla rerum abditarum atque grauium cognitione opus ſit, eumque *ad hominem*, id eſt, vt quiuis homo etiam mediocri, imo hebeti ingenio præditus, eum intelligere poſſit, ſcripſiſſe dictitant; quaſi vero ingenii neruos intendere, rerumque in poëtarum ſcriptis latentium abditos receſſus recludere, ingenio humano atque comi indignum ſit. Hinc neque philoſophiæ cognitionem a doctrina liberali ſeiunctam eſſe volumus, ſine qua nihil firmum ac ſtabile in venuſtatum ambitu eſſe poteſt. Quomodo enim veri ac falſi diiudicandi ſolertia, quæ in Dialecticis traditur, is carere poterit, qui mentem aut mouere aut permulcere ſuſtinet? nonne porro ea ſcientia, quæ cauſſas rerum explicat, in quibus cognoſcendis rationis vis maxime cernitur, eo magis venuſtatum ac politioris doctrinæ cultori commendanda eſt, quod animum non ſolum voluptate perfundit, ſed, id quod cuique, qui mentis ſuæ præſtantiam agnoſcit, maximum eſt, ad Deum cognoſcendum admirandumque adducit? Quid tandem de illa parte philoſophiæ dicam, quæ agit de officiis, totaque in humanis rebus verſatur? Quis aliquam doctri-

næ

Digitized by Google

næ liberalioris partem abſoluere poterit, niſi mentis humanæ latebris cognitis, earum rerum notitia maxime ſit inſtructus, quibus mentem humanam commoueri conſtat? Huius autem rei notitiam facilius conſequemur, ſi non ipſi ſolum ad ea attendamus, quæ in mentibus noſtris geruntur, ſed omnes etiam omnium hominum res in vſus noſtros convertamus. Nec hiſtoriarum igitur ſtudio carere poterit, qui probabilem in bonis artibus de ſe opinionem excitare velit; tenenda illi eſt omnis antiquitas; antiquorum morum, rituum, inſtitutorum & legum ex ſcriptis veterum haurienda notitia, cognitio locorum ac temporum amplificanda, rerum geſtarum momenta & elateres exquirendi, hominum inſignium rationes & characteres indagandi; quibus rebus omnibus hiſtoria deſtituta, manca & imperfecta, neque facile menti commendari, neque eam vtilitatem præſtare poteſt, quæ in commouendis hominum mentibus maxime cernitur. Si quis itaque omnibus his, de quibus diximus, adminiculis inſtructus ad ipſam dicendi & canendi artem acceſſerit; is profecto omnem liberalioris doctrinæ ambitum ita complectetur, vt, ſiue antiquiores, ſiue recentiores earum arbitros conſulat, omnes huius rei partes collegiſſe, ac in vnum corpus redegiſſe, cenſeatur. Certe artem poëticam ac oratoriam ad humanitatis ſtudia referri debere, nemo vsquam terrarum dubitauit; quare nec verbum amplius addam.

Quantus igitur ſit campus, in quem ſagax venuſtatum indagator excurrere poſſit, ex iis, quæ hactenus diximus, intelligere licet: ſummo vero ſtudio ac incredibili diligentia opus eſſe, ſi quis magnum in iis aliquod nomen ſibi adquirere velit, ex iisdem colligi poteſt. Naturales ingenii dotes, fundamenti quidem loco, ſuperſtruendas eſſe, nemo negat: ſed, niſi ratio conformatioque doctrinæ acceſſerit, multumque ſtudii adhibeatur, vt iſta naturæ docilitas ad præſtantiſſima exemplaria dirigatur, nunquam aliquem inter ingenuos ad magnum aliquod faſtigium adſcendere videbimus. Merito itaque Romani omni laude ſunt condecorandi, qui nihil intactum reliquere, quo elegantiorum litterarum, quarum naturam fuſius forte deſcripſimus, quam præfaminis ratio poſtulare videtur, incrementum promoveri potuiſſe videretur. Taceo iam ipſam reipublicæ adminiſtrandæ rationem, augendis humanitatis ſtudiis adprime vtilem, libertatis conſeruandæ cupiditate ſtimulos ſuggerente acerrimos, quid-

Digitized by Google

quidquid ingenii vis ad augendam eloquentiam proferre potuerit, id omne vndiquaque colligendi, vt quemcunque motum res & cauſſa poſtularet, inducere poſſint: qua ipſa re animi excitabantur, vt, cum omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent, arctiſſimo vinculo inter ſe cohærere conſtat, in ſingulis eam induſtriam adhiberent, quæ reliquis opem atque auxilium ferre poſſit: ſed de illis tantummodo artibus dicam, quibus in ſingulorum arbitrio poſitis, vſi fuere Romani, vt elegantior doctrina incrementa caperet quam maxima. Huc refero primum peregrinationes principum, quibus, aut quidquid Roma venuſtum & pulchrum excogitauerat, in prouincias deportabant, ſenſumque pulchritudinis mirifice ibi amplificabant, aut quæ ibi inuenerant, iis in vſus ſuos conuerſis, ciues ſuos augebant. Unde factum eſt, vt, cum Romæ elegantiorum litterarum ſtudium pedetentim deficere cœpiſſet, eæ in prouinciis adhuc florerent. Præterea ipſa belli gerendi ratio illis politioris doctrinæ præſidia ſuppeditauit non contemnenda. Nemo fere Romanorum, qui nobili quodam loco natus, aut ſupra tenuiſſimam plebem elatus erat, militiam detrectare auſus eſt. Neque vero, ſtipendia merentes, in caſtris ſolis vitam tranſegiſſe, ſemperque armis operam dediſſe, aut, vbi ab hoſtibus otium erat, Vacunæ & Volupiæ litaſſe, cenſendi ſunt: habuerunt in ipſis caſtris ludos litterarios, in quibus non ſolum virorum illuſtrium liberos, ſed etiam populorum regumque obſides, qui, veluti pignora ſeruandæ fidei, Romanis erant traditi, ita educabant, vt illorum commodis inſeruientes, nulla eos vnquam re ad bene viuendum neceſſaria carere paterentur; (*f*) habuerunt ibi ſuas in arte dicendi exercitationes, quibus inter armorum ſtrepitus ad pugnam forenſem ſeſe præpararent; (*g*) habuerunt ſuas bibliothecas, quibus pro temporum ratione vterentur. (*h*) Mirumne igitur eſt, vbi ad capeſſendam rempublicam domum reuertebantur, eosdem adminiſtrandæ reipublicæ admotos, præ cæteris politiori doctrinæ maximam nauaſſe operam. Dici ſane non poteſt, quantum hisce Romanorum ſtudiis artes & doctrinæ liberales incrementi ceperint. His

(*f*) vid. SUETONIUS in vita Caligulæ, cap. 45. ibique PITISCUS.

(*g*) Mutinenſi bello Auguſtus in maxima mole rerum, & legiſſe, & ſcripſiſſe, & declamaſſe quotidie traditur. SUETON, in vita eius, cap. 84.

(*h*) CRAMERI oratio de litterarum ſtudiis caſtrenſibus apud Romanos, pag. 10.

tamen omnibus non erant contenti, qui inter Romanos paullo altiorem gerebant mentem; nec, vt multi noſtratium ſolent, adepti munus, ſe vlteriori operæ nunc commode ſuperſedere poſſe putabant: ſed potius, vbi otium erat, philoſophis, aut Grammaticis, aut rhetoribus operam dederunt, eorumque recitationibus interfuerunt; quæ, cum ſiue acuendi iudicii, ſiue explorandarum ſententiarum cauſſa inſtitutæ fuerunt, permultum ad augendas bonas litteras contulerunt. Nec noſtris temporibus ſua priuarentur vtilitate, ſi ſcriptoribus commodum eſſet, antequam molimina ingenii typis diuulgarent, aliorum iudicia explorare, nec de propriis viribus ſpondere; certe liceret

Egregio inſperſos abſtergere corpore næuos. Hac recitandi ſcripta conſuetudine apud Romanos recepta, artium liberalium ſtudium adeo creuit, vt tota criticæ artis origo ad eam referenda eſſe videatur, ſine qua in litteris ad humanitatem pertinentibus, nihil vnquam egregrium extitit, ac ſingulare.

Ipſarum autem recitationum indoles eo redibat, vt, qui lucubrationibus, aut otio rite vtentes, libros ſiue maioris, ſiue minoris molis, compoſuerunt, eos, antequam in vulgus ederent, aliis, vt eorum iudicia explorarent, ex eorumque cenſura eos emendarent, prælegerent. Non vna autem eademque apud Romanos fuit recitandi ratio: fuerunt recitationes *priuatæ*, fuere *publicæ*. In illis molimina ingenii ſui prælegerunt amicis, iisque paucis, quorum non iudicio ſolum, ſed integritati etiam confidere poſſent, fore, vt ex animi ſententia de ſcriptis ſuis iudicent. Hoc modo HORATIUS ſe nemini recitare, niſi amicis, idque ſe facere coactum, non vbiuis, coramue quibuslibet, teſtatur. (*i*) Ipſe AUGUSTUS in cœtu familiarium, velut in auditorio, nonnulla recitare, ſe non indignum putauit. (*k*) Fuere nempe multi tanta verecundia, vt magnam hominum frequentiam ſummo ſtudio deuitarent: ac antequam in publicum prodirent, explorarent iudicia: hinc PLINIUS ſe non aduocare populum, ſed certos electosque ſolere, ait, quos intueatur, quibus credat, quos denique & tanquam ſingulos obſeruet, & tanquam non ſingulos timeat. (*l*) Aliæ recitationes fuerunt *publicæ*, vbi præſentibus pluri-

(*i*) HORAT. Sermon. L. 1. ſat. 4. v. 73.
(*k*) SUETON. l. cit. cap. 85.
(*l*) PLINIUS in epiſt. VII. 17. 12.

Digitized by Google

pluribus, ſiue amicis, ſiue inimicis, loco publico, ſolemni pompa, aliisque rebus, quæ fauorem conciliare poſſent, adhibitis, ſcripta ſua prælegerunt. In numero auditorum ipſo, teſtante PLINIO, ineſſe quoddam magnum collatumque conſilium, quibusque ſingulis parum iudicii, iis vniuerſis plurimum tribuendum eſſe, putarunt. Auditorum enim reuerentia ſcriptores acrius operibus ſuis intenderunt, ac vbi de aliqua re dubitarunt, quaſi ex conſilii ſententia ſtatuerunt. Eadem fere harum recitationum erat ratio, quæ fuit cauſſarum, in quibus, vt maior iudicii conſtaret auctoritas, ad populum prouocabatur. In eiusmodi autem conuentibus non ſinguli ſolum ſcriptores protulerunt ingenii ſui fœtus, ſed plures etiam, certamine inſtituto, de palma contenderunt. Non ſine maxima cauſſa Romanos, quod æmulationem excitandam cenſuerunt, incremento litterarum conſuluiſſe, certum eſt; ſiquidem, vt eſt apud CICERONEM, honos alit artes, omnesque incenduntur ad ſtudia gloria, iacentque ea ſemper, quæ apud quosque improbantur. (*m*) Hinc poëtæ & oratores cuiusuis generis, in conuentu ſolemniori vires ſuas experiri, & de præmio diſceptare, voluerunt Romani. Quæ certamina, loquendi ratione de gladiatoribus ad poëtas traducta, communi nomine commiſſiones vocabantur. Teſtis huius rei inter alios maxime locuples eſt SUETONIUS, qui AUGUSTUM ſcribit permittere noluiſſe, vt nomen eius meris obſole fieret commiſſionibus. (*n*) Nullam aliam horum verborum ſententiam eſſe poſſe, quam Auguſtum aſſidua commemoratione nominis ſui a certantibus in theatro facta, maxime offendi, ex verbis SUETONII antecedentibus patet, inquientis: componi aliquid de ſe, niſi & ſerio, & a præſtantiſſimis offendebatur. Ejusmodi certaminibus publicis iudices præpoſiti fuerunt, qui de recitatis poëmatibus aliisque ſcriptis, ſententiam dicerent, inter quos SPURII METII TARPÆ nomen ab HORATIO & CICERONE maxime celebratum eſt. (*o*) Neque vero horum iudicum præſentia inanis putanda eſt; viros enim magna eruditionis fama & auctoritate conſpicuos ſequitur plebs, cui ſi ad proprium

 arbitrium

(*m*) CICERO quæſtion. Tuſcul. L. 1. cap. 2.
(*n*) in vita Auguſti. cap. 89.
(*o*) CICERO in Epiſt. ad Diuerſos. L. 1. epiſt. 7. HORATIUS Sermon. I. 10. 36. & in libello de arte poetica, v. 387.

Digitized by Google

arbitrium ſine duce pronunciandi conceditur venia, rariſſime ſententiam operis præſtantia dignam proferet: aſt vbi virum conſpicit, ſupra alios ſapientem, eius iudicium ſponte quaſi ſua ſequitur, animadverſaque demum venuſtate, eius iudicii ſe eſſe auctorem, falſa quidem, litteris tamen ſalutari illuſione, ſibi perſuadet. Eiusmodi iudicum de ſpeciminibus ingenii publicorum enunciata pro voce totius populi habita fuiſſe, ex publicis monumentis intelligimus. (*p*)

Antiquiſſimis iam temporibus hunc recitandi morem obtinuiſſe, veri ſimile videtur, licet recentiori ætate, Romanos diuitiarum ſplendore ad pompam impulſos, in hac quoque re magis gloriæ, quam veritati ſtudentes, potius id, quod oculos præſtringeret, quam quod veram adferret vtilitatem, ſpectaſſe, negari non poſſit. ACCIUM relatum legimus, cum in Aſiam proficiſcens Tarenti ad PACUVIUM diuertiſſet, ei tragœdiam ſuam, cui Atreus nomen erat, deſideranti legiſſe. (*q*) Item TERENTIUM nouimus, antequam ædilibus Andriam ſuam venderet, eam CÆCILIO, aut vt alii malunt, ACILIO recitaſſe. (*r*) Tanto ſtudio ſcilicet ſibi cauerunt priſcæ ætatis ſcriptores, ne ſuo iudicio ſtarent; aliorumque ſententiam prius experiri, quam temerario a uſu inconſtanti populi auræ ſeſe committere maluerunt. Nec eos ſpes ſua fruſtrata eſt: ex eo enim tempore elegantiores litteræ ingentia ceperunt incrementa. Quodſi autem ſolemnes iſtas recitationes, quæ in magna hominum turba, præſentiaque iudicum peragebantur, ſpectamus, eæ AUGUSTI demum æuo initium habuiſſe videntur. Certe ASINIUS POLLIO, non magis præclariſſimorum poëtarum, Virgilii & Horatii, amicus & patronus ſingularis, quam ipſe egregius carminum condendorum artifex, primus omnium Romanorum, aduocatis hominibus, ſcripta ſua recitaſſe, dicitur, quod illis recitationibus occaſionem dediſſe videtur, in quibus auditores ſignis & adcla-

(*p*) GRUTERUS in corpore inſcriptionum, pag. 332. nro. 3. hoc monumentum deſcripſit: L. VALERIO L. F. PUDENTI hic CUM ESSET ANNORUM XIII. ROMÆ CERTAMINE JOVIS CAPITOLINI LUSTRO SEXTO CLARITATE INGENII CORONATUS EST INTER POETAS LATINOS OMNIBUS SENTENTIIS IUDICUM. HUIC PLEBES VNIVERSA HISTONIENSIUM STATUAM ÆRE COLLATO DECREVIT.

(*q*) GELLIUS noct. Attic. L. XIII. cap. 2.

(*r*) in vita Terentii, ſiue a SUETONIO, ſiue a DONATO conſcripta.

Digitized by Google

adclamationibus lætitiam atque conſenſum ſignificarunt. Qui auram popularem captandi mos, ſequenti tempore adeo creuit, vt non de plebe ſolum homines, oſtentandæ facundiæ cauſſa, recitationes inſtituerent: ſed principes etiam pulpita conſcenderent, carminaque recitarent; id quod ex pluribus Suetonii locis diſcimus. (s) Sunt quidem, qui putent, eiusmodi recitationes HADRIANI demum tempore, fuiſſe inſtitutas, eo nixi fundamento, quod eæ in Athenæo, ab hoc Jmperatore exſtructo, habitæ fuiſſe dicantur. Sed nonne antea aliis in locis haberi poterant? quis neſcit HORATIUM, multos eſſe querentem, in medio qui ſcripta foro recitent? (t) SUETONIUS diſertis verbis CLAUDIUM inſtituiſſe ait, vt libri quidam, diebus ſtatutis, velut in auditorio, recitarentur. (u) Vt taceam, quæ iam ante protuli argumenta.

Habita diuerſorum temporum ratione, diuerſis quoque locis hæ recitationes inſtitutæ fuere. Quibus benignior adriſit fortuna, vt in propria domo, nemini nexi, ſuo arbitratu viuere poſſent, illi, cum ingenii molimina aliis prælegenda ſtatuerunt, domibus ſuis vtebantur, in quibus amicis conuocatis opera ſua recitarunt. Sic PLINIUS, vt ſeueritatem comitatemque miſceret, grauioraque opera luſibus iocisque diſtingueret, amicis in triclinium conuocatis, poſitisque ante lectos cathedris, vt iam nunc adſueſcerent, & ab otioſis & in triclinio audiri, recitauit. (x) Non omnibus tamen, qui ea adpetenda ſibi eſſe putarunt, quibus mentem paſcere, ingeniumque alere poſſent, tam felicibus eſſe contigit, vt familiares ſibique proprios lares habuerint. Conſueuerunt igitur viri eruditi hoc ſibi inuicem indulgere, vt recitaturis domum præbere haud dedignarentur. Multa ac inſignia huius rei apud antiquos ſcriptores occurrunt teſtimonia. Jdem PLINIUS, quem iam nominauimus, quique ſæpius hac in re ad partes nobis vocandus eſt, CAPITONEM, inter præcipua ſeculi ſui ornamenta numerandum, laudaturus, hoc inprimis ei gloriæ ducit, quod domum recitantibus præbuerit, eorumque auditoria apud ſe mira

 benigni-

(s) iis, quæ iam adduximus adde vitam Claudii cap. 41. Domitiani, cap. 2. item XIPHILINUM, in vita eius, in SYLBURGI Scriptoribus hiſtoriæ Rom. græcis minoribus, pag. 363.

(t) Serm. L. 1. 4.

(u) SUETON. in vita eius. cap. 42.

(x) PLIN. Epiſt. VIII. 21.

Digitized by Google

benignitate frequentauerit. (y) Non omnes tamen promouendarum litterarum amore ducti recitantibus hoc modo conſuluerunt: fuere etiam inter eruditos, qui hanc ſibi legem ſcriptam eſſe putarunt, vt rem, quacunque ratione poſſent, facerent maiorem; hi igitur, aut alii, in quorum domibus ſatis ſpatii erat, poëtis recitantibus domum ſuam, accepto pretio, locare ſe non indignum putarunt. Eorum qui hoc modo Muſis perfugium domi ſuæ præbuerunt, ſiue acciperent pretium, ſiue gratis ædes ſuas commodarent, ſunt quædam apud antiquitatis ſcriptores nomina celebratiſſima. JUUENALIS mentionem facit FRONTONIS, cuius

Platani conuulſaque marmora clamant
Semper, & aſſiduo ruptæ lectore columnæ. (z)

Idem MACULONUM ædes recitantibus commodantem nominat. (a) In his igitur, quas mutuati ſunt, ædibus exſtruxerunt ſibi auditoria, omnibus ornata, quæ ad præſentem vſum requirebantur. Neque imperatores defuerunt, quin in ipſo palatio auditoria exſtrui paterentur, eoque modo Muſis creſcentibus fauerent. (b) Poſtea vero, cum bibliotheca Capitolina a DOMITIANO reſtaurata eſſet, ibi certamen poëtarum recitantium inſtitutum fuiſſe, veriſimile nobis videtur: STATIUS enim conquerens, carmini ſuo, in quo formando multum temporis conſumſiſſet, ſperatum honorem non fuiſſe datum, inquit:

tu cum Capitolia noſtræ
Inſitiata lyræ, ſæuum ingratumque dolebas
Mecum victa Jouem. (c)

Quid aliud hic dici ſtatuendum eſt, quam in ipſis ludis Capitolinis carmina

(y) ib. VIII. 12. 2.

(z) JUV. Sat. I. 12. quem locum fuſius explicat VOLCKHARDTUS in commentatione de hortis veterum Romanorum muſeis, quæ extat in actis ſocietatis latinæ Jenenſis. Vol. III. pag. 229.

(a) Sat. VII. v. 40.

(b) PLINIUS huius rei facit mentionem Epiſt. I. 13. 3.

(c) Syluarum III. 5. 31.

Digitized by Google

mina fuiſſe recitata, Statiumque ibi poſteriores tuliſſe. Nec ipſa templa poëtis fuere clauſa: Quæ enim HORATIUS canit:

hæc ego ludo
Quæ nec in æde ſonent reſonantia —

itemque alio loco:

& vacuam Romanis vatibus ædem:

ea & a Scholiaſtis, & ab aliis interpretibus, ad templum Apollinis referuntur; quamuis alii de Athenæo interpretari malint, niſi in eo hærerent, florueritne iſtud Athenæum iam Horatii tempore; cum ex AURELIO VICTORE ſatis conſtat, ab HADRIANO hunc ingenuarum artium ludum exſtructum fuiſſe, qui ſequentibus demum temporibus huic vſui adhibitus eſt. (*d*) Præterea in thermis & balneis, (*d*) porticibus & baſilicis, (*e*) quin imo in medio foro (*f*) poëtas carmina ſua recitaſſe, ex multis antiquorum ſcriptorum locis diſcimus. Tantus ſcilicet ſcriptoribus inerat ardor, vt opera ſua, quacunque demum de cauſſa, hominibus innoteſcerent.

Solemne inprimis fuit, & adhuc eſt, poëtis, quos ſacer quidam morbus inuaſit, vt ſe optimos putarent, carmina ſua illis, quoscunque ſors aut mala fortuna offert, prælegere, nec rari hodie ſunt eiusmodi acerbi recitatores, qui quosuis tenent occiduntque legendo, vt

Non miſſura cutem, niſi plena cruoris, hirudo. Romæ hoc hominum genus viris, qui bene ſentire & incorrupte iudicare poterant, moleſtum ſane fuiſſe, dubium poteſt eſſe nemini, qui, quæ HORATIUS paſſim conqueritur, animaduertat. Neque vero poëtæ ſoli inſano hoc recitandi amore agitabantur; inter oratores quoque fuere, qui prælectionibus ſuis moleſtiam, ac tantum non, quod CATULLUS ſibi contigiſſe per iocum ait, tuſſim, grauedinem ac febrim incuterent. (*g*) Sed hæc huius loci non ſunt, nec recitationum nomine digna. Id potius dicendum eſt, poëtas fuiſſe primos, eosque initio ſolos, qui carminum prælegendorum ratio-

(*d*) AURELIUS VICTOR in vita Hadriani cap. adde LAMPRIDIUM in vita Alexandri cap. 35. JULIUM CAPITOLINUN in vita Pertinacis. cap. 11.
(*d*) PETRONIUS in Satyrico cap. 91. pag. 440. edit. Burmannianæ.
(*e*) ib. cap. 90. (*f*) HOR. Serm. I. 4. 75.
(*g*) CATULLUS Epigrammate XLV.

Digitized by Google

rationem habuerint: cum enim hoc ſcribendi genus Romæ antiquiſſimum & præcipuum fuit, tum ex VALERIO MAXIMO, florente adhuc libera republica, poëtarum collegium inſtitutum fuiſſe, diſcimus. (*h*) Quis autem huius fuiſſet vſus, niſi poëtis conveniendi, ac de carminibus iudicandi copia facta fuiſſet. Manſit poſtea ſchola poëtarum, in qua LIPSIUS docet, diem quendam fuiſſe ſtatutum, quo conuiuia annua agitarentur, Ouidiumque valde doluiſſe, exuli ſibi hoc genus ſolatii eſſe ereptum. (*i*) Tanta poëtæ tenebantur recitandi cupiditate, vt ne carmen quidem, quod non recitaretur, libenter fecerint; hinc OVIDIUS exul fatetur:

Paruaque, ne dicam, ſcribendi nulla voluptas
Eſt mihi, nec numeris nectere verba iuuat,
-- — quod in tenebris numeroſos ponere greſſus,
Quodque legas nulli, ſcribere carmen, idem eſt. (*k*)

Neque dubitarunt, de quacunque re ſcripſerint carmina, ea populo prælegere; deſcripſerunt autem exitus illuſtrium virorum; recitarunt carmina amorum, luſusque iuueniles, vt plebis fauorem ſibi conciliarent; cecinerunt de rebus naturalibus; vtque breuiter dicamus, quibuscunque poëtarum ſtudia occupata fuere, ea & populo recitare ſolebant. Hinc PLINIUS narrat, toto menſe Aprili nullum fere fuiſſe diem, quo non aliquis recitaſſet. (*l*) Aſt non tantopere rei poëticæ operam dederunt, vt reliqua venuſtatum genera penitus excluſerint; quin potius orationes quoque, hiſtorias & dialogos recitarunt. Quod quidem ad orationes pertinet, de illis recitandis non fuit vna omnium & conſentiens vox, aliis propterea eas recitare dubitantibus, quod orationes, quæ recitentur, impetum omnem caloremque ac prope nomen perdant; (*m*) aliis aliter ſentientibus, præſertim vbi recitator oratoris contentionem legendo imitaretur. Certe & Auguſtus non eos ſolum, qui carmina recitarunt, ſed etiam, qui orationes prælegerunt, benigne & patienter audiuit; (*n*) dum hæ

(*h*) VALER. MAX. hiſtor. III. 7. 11.
(*i*) LIPSIUS in Epiſt. ad Belgas, cent. II. epiſt 48.
(*k*) Epiſt. ex Ponto IV. 4. 29. (*l*) Epiſt. I. 13.
(*m*) Ipſe PLINIUS initio orationem, quam habuerat, recitare addubitauit, Epiſt. II. 19. 1.
(*n*) Suetonius l. c.

Digitized by Google

hæ non minus atque illa emendationis egerent. Eidem de cauſſa & Aediles comœdias ante recitandas curarunt, quam agerentur, vt conſtaret, an eſſent dignæ agi. Hæc & alia monumenta ingenii prælegere quauis data occaſione ſolebant, nec anni quoddam tempus præ ceteris lege ſancitum erat, quo recitationes ſint habendæ. Legimus quidem apud PLINIUM, loco iam nominato, toto menſe Aprili poëtarum ſtudia in recitando ferbuiſſe; idem tamen ipſe menſe Julio, quo lites maxime interquieſcerent, recitauit; (o) & JUUENALIS Auguſto menſe poëtas recitaſſe adfirmat. (p) Quid ex his teſtimoniis colligitur? id ſane inde fluere videtur, aut toto anno recitare licuiſſe, aut Julium & Auguſtum menſes propterea cæteris prædilectos fuiſſe, quod iis menſibus feriæ ſtatiuæ erant, quas tempore meſſis conceſſas fuiſſe liquet. Hoc igitur tempore, quo forum litibus orbum erat, & quo frequentius expectare poterant auditorium, quam diebus faſtis, poëtæ ac reliqui ſcriptores, qui prælectionibus innoteſcere & placere populo ſtudebant, recitationes ſuas inſtituerunt, ſperantes, fore, vt, vbi maior audientium eſſet turba, plurium vocibus & ſignis, de iis, quæ adprobanda reiiciendaue eſſent, edoceantur.

Operæ autem pretium eſſe videtur, modum rationemque cognoſcere, qua potiſſimum in recitationibus ſuis vſi fuere Romani. Antequam coram concione opera ſua prælegerunt, ſuis ipſi diffiſi viribus, ea amicis privatim legenda miſerunt, vt quæ illis minus apte dicta viderentur, adnotarent. Hunc morem ſecutus CICERO, antequam orationes ſuas diuulgaret, eas Attico legendas & exquirendas miſit, quem hac de cauſſa orationum ſuarum Ariſtarchum nominat. (q) PLINII exemplum omnibus ad imitandum propoſitum eſto, nullum, inquientis, emendandi genus omitto; ac primum, quæ ſcripſi, mecum ipſe pertracto; deinde duobus aut tribus lego, mox aliis trado adnotanda, notasque eorum, ſi dubito, cum vno rurſus, aut altero penſito; nouiſſime pluribus recito, ac tunc acerrime emendo. (r) Macte PLINI, hac tua diligentia, hi gradus ad limam ſunt, hæc eſt proniſſima ad conſequendam nominis famam via.

C Vtinam

(o) Epiſt. VIII. 17. 7. (p) Sat. III. 9.
(q) Epiſt. ad Atticum I. 14.
(r) Epiſt. VIII. 17. 7.

Digitized by Google

In ornando auditorio nulli operæ nulliſque ſumtibus pepercerunt. Interioris notæ amicis cathedras ante ipſum ſuggeſtum collocarunt, vt & honoris gratia propius adeſſent, & vbi reliquis in adplaudendo vocibus præirent, ab illis melius conſpici poſſent; reliquis vero auditoribus, aut ſubſellia in medio, aut anabathra ad latera, quæ adſurgerent gradatim ac per ſcalas, theatrico more, poſuerunt. Quibus ſumtibus omnis iſte ornatus comparandus fuerit, JUUENALIS ridens exponit:

Nemo dabit regum, quanti ſubſellia conſtant,
Et quæ conducto pendent anabathra tigillo,
Quæque reportandis poſita eſt orcheſtra cathedris. (y)

In tanto autem auditorum concurſu plurimos fuiſſe, qui de ſpeciminibus eruditionis rite & acute iudicandi dote deſtituti fuerint, eo minus mirandum eſt, quod genuinorum his de rebus iudicum & hodie rariſſimam eſſe ſegetem, experientia docet. Quantulacunque igitur ſe ex recitationibus capere ſperarunt emolumenta, ea tamen tantum non omnia, peruerſo quodam & a priſtina conſuetudine remotiſſimo more introducto, euanuerunt: non enim id operam dederunt recitatores, vt ſapientiſſimum quemque & eruditiſſimum inuitarent, ſed ſedilia habere completa, maxime ipſis erat in votis. Vnde factum eſt, vt ſummo ſtudio audientibus, blandirentur, vtque eos haberent beneuolentiores, blandimentis oculorum, velut faſcino, illaquearent. Neque ergo ſe indignum putarunt, adhibere recitationibus ſuis adulatores, ignauiſſimum hominum genus, quos bellariis nitidiſque dapibus in laudem ſuam traxerunt; de quibus apud PETRONIUM falſum extat elogium: *multo me turpior tu es hercule, qui vt foris cœnares, poëtam laudaſti.* (z) Eandem in rem MARTIALIS facete ludit:

Quod tam grande σοφως clamat tibi turba togata,
Non tu Pomponi, cœna tua diſerta es. (a)

Hinc ſæpe numero legimus, ſcripta, quæ digna erant, vt deferrentur

in vicum vendentem tus & odores,
Et piper, & quidquid chartis amicitur ineptis,

ſummis laudibus eſſe elata, contra ea, libros quouis ſuffragio dignos, exploſos. Recitatorum vero culpæ omnia, quæ ibi agebantur, tribuere, parum æqui

C 2 eſſet

(y) JUVENALIS Sat. VII. 45.
(z) l. c. cap. 10.
(a) MART. Epigr. VI. 48.

eſſet iudicis, cum auditores ſæpe eadem culpa premeret, quæ recitatores: his enim idem accidit, quod tibicini cuidam contigiſſe ferunt, qui, cum diſcipulum errantem, cui nihilo minus multitudo adplauderet, baculo p rcuſſiſſet, reſpondiſſe dicitur: *perperam cecinisti, nam alioquin hi tibi non adplauderent.* (*b*) Recitatores e contrario quibus operum ſuorum venuſtas conſtabat, iudicium multitudinis eſſe cœcum, ideoque contemnendum, in animum ſibi induxerunt, quippe nulla arte inſtructæ; hinc omnibus quidem auditoribus admiſſis, certos tamen & electos, qui inuitati aderant, ſequebantur.

Is nempe poſteriori tempore mos inualuit, vt non omnes audiendi ſtudio agitati, recitationibus intereſſent, ſed alii aliam ob cauſſam auditoria frequentarent. Nonnulli, quibus nullus litterarum amor inſitus erat, ne amicitiæ officiis deeſſe viderentur, ab amicis recitaturis inuitati, eorum deſiderio minus ſatisfacere turpe putarunt: alii, qui nulla alia ratione otium transigere potuerunt, ad fallendas interea horas acceſſerunt: alii, vt ex multitudine hominum fructum oculis caperent, aderant; alii denique, vt humanitatis ſtudiis initiati viderentur, eorum gregi adhæſerunt, qui ea publice profitebantur. Qui vanam gloriolam aucupantes recitarunt, multitudinis inprimis hominum quam maxime rationem habuerunt, variisque technis vſi, quibus multorum, licet non ſemper ſanorum, ſuffragia reportarent, aliorum laudes, non iudicia captarunt. Inſtruxerunt quosdam, qui in media turba verſantes, plauſu manuum, aut ſublatis clamoribus, ſignum ab laudandum darent, quos PLINIUS, faceta adluſione ad turbam canentium & ſaltantium facta, *meſochoros* adpellat, facete adiiciens: *opus eſſe ſigno apud non intelligentes;* idem quoque multa cum indignatione eum peſſime dixiſſe profitetur, qui maxime laudaretur. (*c*) Quam varia ac inconſtans audientium voluntas fuerit, quamque parum ab adclamationibus aliisque comprobationis ſignis concludi licuerit, SENECA docet, narrans recitatori cuidam ab omnibus adclamatum fuiſſe: recita, recita, quem tamen omnes obmuteſcere illico cupierint. (*d*) Quanto melius feciſſent recitatores, ſi tantummodo rerum intelligentes, & vere candidos admiſiſſent! quanto cum maiore rei litterariæ incremento recitationes ſuas habituri fuiſſent, ſi non tam iudicantium numerum, quam pondus ſpectaſſent!

In

(*b*) Hiſtoriam hanc refert, ſalubriaque inde deducit præcepta PLINIUS Epiſt. II. 14. 6.
(*c*) loco modo citato. (*d*) Epiſt. XCV.

Digitized by Google

In tanta autem hominum turba, in qua ſinguli ſuffragiorum ius ſibi competere autumabant, variis vtebantur rationibus, quibus ſententiam ſuam declararent. Primum ex ipſo ſilentio audientium iudicare poterat recitator, quem in eorum animis produxerit motum. Hoc de imperitorum ſilentio, ex ſtupiditate nato, non eſſe intelligendum, quisque intelligit; neque de maleuolorum ſilentio, qui inuidia compulſi, quamuis recitator librum protulerit omnibus probandum, ipſique in mente aliter ſentire non poſſint, tamen, quæ reuera cogitant, verbis ſignificare detrectant, neque tamen contraria proferre audent: cuius generis PLINIUS hiſtoriolam refert. (e) Sed illud demum ſilentium, quod ex profunda rerum contemplatione acrique animi intenſione ad res, quæ dicuntur, probe percipiendas, naſcitur, tale quidpiam eſt, ex quo animi ſententiam colligere licet. Ipſo ore vultuque facile prodit auditor tacens, ex quo fonte ſilentium ſuum manet. Et certe optimus quisque, dum recitabat, non minus ſilentio, quam clamore delectabatur, dummodo ſilentium fuerit acre, & intentum & cupidum vlteriora audiendi. Verbis alium præſentem laudare, multis graue & odioſum eſt; nec ab alio in os laudari, quilibet ferre poteſt, niſi quis inani tumeat ſuperbia: at ſummo ſtudio ad ſingula alterius verba mentem animumque admouere, eaque, quæ profert, acri attentione digna iudicare, ea demum laus eſt, omnibus adclamationibus ſuperior. Alter modus, quo in eiusmodi cœtibus adprobationis ſigna dabant, conſiſtebat in geſtu aliquo corporis, vbi vel manibus plauderent, vel recitanti adſurgerent, vel præ gaudio exultarent, vel vultum certo modo componerent, vel recitantem oſcularentur, vel cognatis gratularentur, de quibus ſingulis ſigillatim diſſerere, huius ſcriptionis limites non permittunt. Tertium denique adprobationis ſignum ſecunda adclamatione continebatur, vbi vel ſingulis vocibus, quales ſunt: euge, grauiter, belle, beate, pulchre, recte, σοφῶς, ορθῶς, Θεοφορητως, υπερφυῶς, & quæ ſunt aliæ eiusmodi tenoris; vel pluribus vocabulis connexis, quid de libellis recitatis ſentirent, ſignificarunt. Vanæ gloriolæ militantes, ſibi diſerti von videbantur, niſi omnia tumultu ac vociferatione concuſſerint. Hinc adclamationibus adiecerunt quandoque manuum plauſum, ſubſultationem, ac circumactionem totius corporis, vt gaudium ex recitatione perceptum indica-

(e) ib. VI. 17.

indicarent. Quantopere autem iſtiusmodi recitatores ſecundis adclamationibus delectabantur, tantopere aduerſas exhorreſcebant, vt, vbi populus clamore obſtreperet, e cathedra deſcenderent hominumque conſpectui ſeſe ſubtraherent. Finita demum recitatione, quæ ex animi ſententia ceſſerat, vt recitatori maiorem haberent honorem, eum ſplendido comitatu domum deduxerunt. Quid? quod adulatio ſæpe adeo inualuit, vt omnes modos ac terminos transgrederetur. Audiamus ſolum EUNAPIUM: finita recitatione, neque leges ſuas ſeruare proconſul, neque corona Auditorum ſummi magiſtratus minas reuereri potuit: nam cuncti, qui aderant, circumlabendo ſophiſtæ pectus, velut ſimulacrum alicuius Dei, alii pedes, alii manus deoſculabantur ſupplices. (*f*) Maioresne adulatio accipere potuit vires? Non opinor.

Quid de his igitur omnibus ſentiendum eſt? tantine recitationes ſunt habendæ, vt & noſtra ætas morem Romanorum imitetur? Si ea removeris, quæ adulatio prauaque conſuetudo intulit, non video, cur Romanos, quos multis aliis in rebus auctores ſequimur, nobis hac etiam in re non exempli loco proponamus. Primum enim hæ recitationes, qualescunque demum ſint, dummodo a viris, qui egregiis ſcriptis ſuis aliquam nominis gloriam adepti ſunt, habeantur, eo inſeruiunt, vt liberalioris doctrinæ monumenta ad bene multos perueniant. Romanorum quidem tempore, pro propter librorum caritatem multis ad eruditionis penetralia perueniendi iter præcluſum fuiſſe nouimus, maximæ fuerunt vtilitati, cum illis etiam, quibus propter rei familiaris anguſtias optimis politioris doctrinæ ſubſidiis carendum eſſet, poteſtas fieret, præſtantiſſima ingenii monumenta prælecta auribus percipiendi. Quo plura autem proponuntur venuſtatis exempla, eo maiorem exiſtere bonarum artium prouentum, experientia commonſtrat. Quid aliud cauſſæ eſt, quod Romæ noſtris adhuc diebus plurimi inueniantur, qui artis ſculptoriæ & ſtatuariæ ſunt peritiſſimi, quam quod tanta ibi harum artium publice proſtant monumenta? Eadem fere recitationum eſt ratio, quippe quibus vigent ſtudia, ac ingenia hominum ſeſe proferunt. Deinde, qui laudis ſtudio trahuntur, nullamque aliam mercedem laborum ſuorum deſiderant, præter fructum laudis & gloriæ, ii vehementiſſime incitantur, omnes ingenii vires intendere, vt apud ciues ſuos

(*f*) in vita Proæreſii, vid. ejus vitas philoſophorum & ſophiſtarum pag. 140.

ſuos eruditionis famam conſequantur; eoque ipſo aliis ſtimulos ſubdunt acerrimos, eiusmodi ſpecimina edendi, quæ apud rerum peritos omne ferant punctum. Quæ propullulare incipiunt ingenia, acerba vituperatione deterrenda non ſunt, ſed honoris potius ſtimulis excitanda, vt ad præſtantiſſima quæque graſſentur. Etſi quidem interdum in ſcriptores nullo numero dignos ab imperita multitudine laudum encomia coniiciuntur, ea tamen, vt floſculi caduci, ſi leuiter excutiuntur, euaneſcunt; quam vero meruiſti, laudem, contra omnes maleuolorum inſultus permanere, præſtantiſſimorum ingeniorum facta commonſtrant. Qui autem tam humili eſt mente, vt ſe ab eiusmodi pecoribus, quibus anima pro ſale data eſt, laudari, quam ſpectatæ ſapientiæ viris probari malit, parum ex recitationibus capiet emolumenti; quin id incommodi illi naſcetur, vt, ſi quæ

immenſi ſpirant mendacia folles,

pro vero habeat, animum ægrotum ad deteriorem partem adplicet. Hos igitur a recitandi ſtudio quam longiſſime abeſſe volumus. Tertius isque longe præſtantiſſimus recitationum finis eſt ipſa operum, quæ quis elaborauit, emendatio, qua ſcriptoribus nihil utilius ſalutariuſue excogitari poteſt. PLINIUS ſe idcirco recitaſſe ait, vt ſolicitudine incenderetur, admonereturque, ſi quod forte ſe, vt ſuum, fefellerit. (g) Ita conſequuntur recitatores, vt cognitionem ſuam reddant pleniorem, nihilque in publicum exire patiantur, niſi quod cura limatum, & de conſilio eruditorum emendatum ſit. Quam vero vtilitatem non conſequuntur ii, qui aliorum admonitionibus non mouentur, qui ſibi ſapientes aliorum non curant cenſuram; qui defendere delictum, quam vertere malunt; qui denique ſine riuali ſe & ſua ſoli amant. Qui ita comparati recitant, in illis audiendis, nullum verbum, aut operam ſumamus inanem. Hoc vero non perinde valet, tanquam ſine ſcrutinio aliorum ſententiam amplecti debeamus; auditor enim æque falli poteſt, ac nos ipſi. Notas monitorum perſitandas eſſe, ſana ratio ſuadet. His demum exercitiis Romani ſibi adquiſiuerunt facultatem, de poëtarum ac oratorum ſcriptis, deque elegantia ac vitiis eorum iudicandi, diuerſitatem ſtili diſcendi, ſuisque operibus maiorem indies conciliandi perfectionem. Quæ ergo ex his recitationibus naſcuntur emolumenta, incommodis cum iis coniunctis, longe eſſe ſuperiora, quis eſt, qui non videat? Supereſt,

(g) Epiſt. IV. 13.

Digitized by Google

Supereſt, vt ad ea nos conuertamus, quorum cauſſa tabula hæc ſuſpenſa eſt, indictisque luſtrationis ſcholaſticæ ſolemnibus, iis, qui prodituri ſunt, oratoribus, auditores exoremus beneuolos. Craſtina igitur luce, hora poſt meridiem ſecunda, Gymnaſii luſtratio ex formula antiqua peragetur.

Primus ipſe actum oratorium auſpicaturus, *de vita & meritis* b. ALBRECHTI, quem & muneris dignitas, & doctrinæ excellentia dudum reddidit celebratum, oratione latina exponam.

Deinde ex cathedra inferiori JO. JACOBUS WIRTH, *Francofurtenſis, Exemtus, chori minoris Præfectus*, qui inde a pueritia Gymnaſio noſtro aſſidue dedit operam, de *admirandis animæ humanæ* latine verba faciet.

Poſtea ex ſingulis claſſibus, bini, ſi primam & tertiam excipias, prodibunt iuuenes generoſa mente ac liberali indole prædici, qui BENIGNISSIMORUM Gymnaſii NUTRITORUM munificentiam, promotione & præmiorum diſtributione exhibitam, iuſtis celebrabunt laudibus. Nomina eorum ſunt, quæ ſequuntur.

Ex prima Claſſe: CHRISTIANUS CAROLUS LUDOV. KOERBER, *Hanouienſis.*
Ex ſecunda Claſſe: JO. BALTHASAR DAUBER, *Francof.*
JO. HENRICUS WEBER, *Didenbergenſis.*
Ex tertia Claſſe: JO. GUILIELMUS GUEMBEL, *Francof.*
Ex quarta Claſſe: JO. ADOLPHUS FIRNHABER, *Francof.*
GEORGIUS PHILIPPUS LEHR, *Francof.*
Ex quinta Claſſe: BENEDICTUS WILLEMER, *Francof.*
JO. PHILIPPUS DILLENBURGER, *Francof.*
Ex ſexta Claſſe: JO. CONRADUS PARROT, *Francof.*
JO. GEORGIUS KELLER, *Francof.*

Adeſte igitur Vos, *illuſtris Reipublicæ* PROCERES, MUNIFICENTISSIMI Gymnaſii NUTRITORES; adeſte Vos *Venerandi Senatus Eccleſiaſtici* DIRECTOR EXCELLENTISSIME, eiusdemque ASSESSORES SPECTATISSIMI, Mæcenates digniſſimi; adeſte Vos *Sacrorum adminiſtri* SUMME ac PLURIMUM REUERENDI; adeſte Vos, Viri CONSULTISSIMI & EXPERIENTISSIMI, quos iuris & artis medicæ ſcientia exornat; adeſte denique Vos omnes, qui litterarum incrementis & Gymnaſio bene cupitis. Adeſte æquo animo, oratoresque noſtros beneuolentia Veſtra exceptos, patienter audite.

P. P. Francofurti ad Mœnum, a. d. VI. Cal. Octobris A. R. S. MDCCLXX.

Digitized by Google

Digitized by Google

121. 16

Digitized by Google

Digitized by Google